IOSEPHI GALIMII
MESSANENSIS

34-3-A-3

DIVINÆ PHILOSOPHIÆ, & Sacræ Medicinæ Doctoris

Opuſculum celeberrimum de virtutibus Olei Scorpionum compoſiti

Deſcriptione Gregorij Carauitæ cum legitima additione Sereniſſ. Magni Ducis Florentiarum.

AD ILLVSTREM, ET EXCELLENTEM Dominum Franciſcum Biſſum Sacræ Medicinæ, & diuinæ Philoſophiæ Doctorem, Regium, & generalem Regni Siciliæ Inſularumq; coadiacentium Prothomedicum.

Meſſanæ die iij. Menſis Septembris.
Anno M D X C I.

Ex Typographia Fauſti Bufalini.

SVPERIORVM NVTV.

34.3.A.3

RI TI

ILL. ET EXCEL.

DO. FRANCISCO

Biſſo Regio, & Generali Prothomedico.

IOSEPH GALIMIVS Medicus felicitatem.

COgitanti mihi BISSE iucundiſſime, cui ſtudiorum meorum primitias conſecrarem, occurrebãt multi, quibus me multũ debere cognoſcebam: quibuſq; honeſte me, laboreſq; meos committere poſſem. Deerat autem aliis magnarum rerum cognitio, quam mihi ad

hanc rem apprime neceſſariam videbam, alijs autoritas, quę meas lucubrationes, ab omni reprehenſione contineret: alijs denique prudentia, quę diuturno rerum vſu & experientia comparata non parum vtilitatis meo operi uidebatur allatura. Quibus quidem omnibus, vitę in tegritas, felicitas morum, generis ſplen dor maximus, & ſumma inerant ornamenta virtutis. Tu tamen vnus ex omnibus præcipue occurriſti, in quem viſa eſt natura, ex alijs hauſtas virtutum dotes transfundiſſe: & qui pręter generis nobilitatem, auguſtam quidem illam, & plane regiam; multiplici rerum ſcientia, auctoritate, & prudentia reliquos anteires. Quid enim memorem tuam in ferendis laboribus conſtantiam? in regendis clientum animis ſolertiam? in gubernan

dis

dis populis ſagacitatem? Quid referam beneſitia: quibus me tibi deuictum ſentio? Tacebo ne humanitatem, quam vnus maxime excellis? Dum enim quantos in literis feceris pergreſſus, contemplor, te earumdem ornamentum intueor: dum multarum diſciplinarum perfectam cognitionem mihi ante oculos pono; quem tibi ante ponam neſcio. Denique vbi in omni virtutis genere pręſtantiam ſuſcipio, tā exiguum tempus ad iſta referenda doleo. quę ita eſſe. vel me tacente dignitatis gradus, in quem tanto optimorum hominum applauſu euectus es, neceſſario comprobat. illi enim ſoli ad iſtam dignitatem, & honoris locum efferuntur, quibus, maxima eſt cum virtute coniuncta ſapientia, & cum ſapientia humanitas, & cum humani-

tate ſumma Chriſtianæ religionis obſeruatio: Hæc Philippum Hiſpaniarum Regem æquiſsimum, ubi Regius, & Generalis Protomedicus renuntiatus es, non latuerunt: Hæc Siciliæ Regni nõ ignorauit auctoritas: Hæc nullum genus hominum, & ſi immane, & barbarum effugerunt. omnes enim tuam probitatem, humanitatem in pauperes, facilitatem in amicos, & in ceteros integritatis ſplendorem agnoſcunt atque ut hæc omittam, ne uidear meridiano Soli accenſam facem attuliſſe, & rem per ſe nobilem ſermonis humilitate obſcuraſſe, ſcias velim, me, tui perpetuo obſeruantiſsimum, opuſculum inſigne ac curandi arti neceſſarium, & communis utilitatis ratione hunc laborem me ſuſcepiſſe ſcias. Spero enim me tua humanitate, ſi-

de,

de, & nomine tanquam Miltiadis clypeo tectum, intrepide omnes aduerſariorum ictus eluſurum. Hos igitur Prothomedice ampliſſime? Primos labores meos, rudes ſane & impolitos, meæ tamen in te obſeruantiæ, & uolumptatis ſempiternæ monumenta accipies. Vale literarum decus, & ornamentum, & totius Siciliæ ſidus fulgentiſſimum, & me ut ſoles ama.

AD LECTORES.

PVblicæ ſalutis deſiderium ad offitium me impellit, ac monet omnibus ſignificãdum eſſe apud genitorem meum Baſilium Galimium Aromatariũ ſumma diligentia, ac magnis ſumptibus Meſſanæ paratum eſſe verũ oleum Reuerendi Fratris Gregorij Carauitæ cũ legitima additione Sereniſſimi Magni Ducis Florentiarum mihi Piſis ab eius Excellentiſſimo Medico tradita ad differentiam illius, quod

a vulgo dicitur, & eſt oleum de ſcor pionibus compoſitū, vt etiam præclariſſimus vir Mattheolus in ſuis cō mentarijs mentionem facit, vt igitur ſciatis me etiam in hoc breui opere ſeriatim per Capita procedere aſſi gnando prius in vniuerſali communis olei conſiderationem, vſum, atque vniuerſales eius facultates poſt modum ad particularē noſtri compoſiti olei conſiderationem deſcendam illamq́; etiam breuiter quo ad vires valebunt per capita tradam. & antequam ad iſta referēda veniam, vt alacri animo perlegatur opus aliquid de noſtri compoſiti olei iſtoria dicere decreui ſciendū itaq; Romæ a Chriſto nato 1524. Mēſe Nouembri in Capitolio, Clementis V.II.

Pont. Max. anno primo. Nam cum decreuiſſet experiri oleũ, quod Gregorius Carauita Bononienſis Chirurgus contra deleteria medicamenta, & venenoſorum animaliũ quorumcunque morſus parauerat iuſſit Pontifex venenum dari duobus latronibus, quos leges damnauerant, quo ſuorum facinorum pœnas luerent, laqueo vitam finire, vt in his olei experimẽtum fieret. Horum alterum, qui plurimũ Napelli ſumpſerat dulciarijs panibus commiſtum, Pontificis Medici ſtatim oleo inungendum prębent, qui poſt tertiũ diem ſępius oleo perunctus incolumis euaſit: quanquam non ſine magna formidabilium ſymptomatũ acceſſione. Alterum vero cui longe minus vene-

nati

nati panis exhibuerant, oleo inungi ventauerunt, vt aſsumpti veneni effe ctum, ſęuitiamq; viderent, id quod rei exitus conſpicientibus facile com probauit: quandoquidē paucis poſt horis obijt infelix his omnibus incō-modis, cruciatibus, & ſymptomatibus correptus, quę ab epoto Napello prouenire ſcribit Auicenna, id etiam viſum fuit Prage Metropolis Regni Boemię anno M D L X I. Menſe Decembri in latrone quodā ſuſpendio damnato. Cui Napelli radix a carnifice data eſt dracmę pōdere modo ſaccharo miſta, Ceſareis Medicis pręſentibus, vt antidoti famoſi cuiuſdam vires explorarentur; an contra Napellum id præſtarent, quod antea in altero damnato, qui

Arſenici dracmas duas biberat efficaciſſime præſtiterat lubens itaq; vorauit ille lethiferum Napelli farmacũ, vt pote qui non ſolum ſibi conducibilius cenſebat, veneno in carcere necari, quam laqueo publice in patibulo ſuſpendi, ſed quod etiã ſe a nobis ſeruari poſſe. interim tranſacta iã ſeſqui altera hora, cum nihil ſymptomatis appareret, verebantur omnes, ne fortaſſe in Boemia algide regionis cauſa, Napellus non venenoſus naxeretur, aut quod ipſa radix ſucco deſtituta, ob editos iã caules, flores, & ſemen, nihil operaretur. Quo factum eſt, vt alterum illi farmacum propinatum ſit, ex eiuſdem Napelli caule, folijs, floribus, & ſemine paratum. At ibidem duabus

ad

ad huc horis Medicis omnibus per manentibus, miſero illi mali prorſus nihil acceſſit. Reducitur ille ad carce res, abeunt cęteri, & ſoli Medico to tum committitur negotium. Hora tranſacta carceris cuſtos illũ admo- nuit, iam miſerum ęgrotare. Ceſaris autē medicus ſtatim affuit audiuitq; ipſum de uniuerſi corporis laſſitudi- ne vlceroſa, imbecillitate magna, & cordis grauedine conqueri. tunc itaq; quanuis audacter ſatis loquere- tur nullo ſane mentis incommodo, & viuidis Medicum intueretur ocu- lis, cum tamen Medicus frontem inſpiceret frigido ſudore madentē, & arterias iam fere obdormiſcere, antidotum propinari iubet quo epo to illico inuerſis oculis, atq; ore in la

tus diſtracto, capiteq; in ſcapulas rigente, ingenti admodum animi deliquio correptus fuit. itaq; totus colla pſus decidiſſet in terram niſi a carceris cuſtode retentus eſſet. iubet interim Medicus cũ vino irrorari faciem, & anterioribus capillis excuti. Quo ingenio ſtatim reuiuixit, emiſſis interim per ſedem excrementis. Poſt hac iubet illum iacere ſuper ſtraminibus ibi ad hoc paratis, vt quid inde ſequeretur, animaduerteret, infelix ille de frigore conquerẽs, paulo poſt putrida, biliosa, & liuida quędam vomitione reiecit qua ſe non parum adiutum fatebatur. & interim ſe ad ſiniſtrum conuertit latus, ac ſi dormire vellet, prohibuit ne dormiat. Dum hęc agebantur, nullo alio exor

to ſymptomate, tantum obmutuit, & obiit ſimul, liuida facta facie ac ſi laqueo ſuſpenſus. ceterũ longe aliter ſe habuerunt ſymptomata in altero pariter ad furcam damnato, cui data fuit eiuſdẽ Napelli dracma, vt de lapide, quem Bezoar Arabes appellant, periculum fieret, an huiuſce veneni immanitatem expurgare poſſet. Agebat latro annum circiter xxvij. qui epoto lethali farmaco, piperis, omnino ſaporem illi in eſſe dicebat hora poſt modum peracta, cum uomere cepiſſet, lapidis illius grana ſeptem cũ albo mero tradita ſunt: verum ab ebibito antidoto, varijs, & acerbiſſimis exagitatus eſt. euomit enim frequenter bilioſa porraceo colore. quoque quendã veluti globum

circa

circa umbilicum ſeſentire dicebat; qui deinde ſuperna petens, in ſupremam, & poſtremam capitis partem frigidum ſudorẽ diffundebat. Acceſſit paulopoſt ſtupor paraliſi non abſimilis, qui ſiniſtri lateris brachium, & crus occupauit, adeo vt vix ſummã manum mouere potuerat, motu iam in cæteris partibus extincto. interim nõ multo poſt tempore hęc morbi vis ſiniſtra corporis parte incolumi relicta, in dexteram repente ſe contulit, eandemq; ſimili modo occupauit. vagum profecto ſymptoma hoc fuit; nam cum dextrũ brachium ijs attollere potuerat, ſiniſtrum non potuit, quas ſequutę ſunt cerebri cõmotiones adeo feruentes, vt aquę in Caldario bullienti ſimiles eſſe dice-

ret.

ret. Acceſſit quoque oris, & oculo-
rũ conuulſio, atq; acutiſſimus man-
dibularum dolor. Quare ſępe mani-
bus effectas illas partes perſtringebat,
veritus ne exciderent. Foris turgentes
oculi, liuida facies nigraq́; labia cer-
nebantur; quin etiam ventris tumor
videbatur, per inde ac hominis aqua
intercute laborãtis: varia admodum
Arteriarum pulſatio, & varia quoq;
mẽtis perturbatio, pro ſymptomatũ
recurrentium acerbitate extiterat.
Nam iam prorſus de vita deſperari,
mox in ſpem ſe erigere videbatur;
modo rationis compos, modo deli-
rans, nunc ploranti, nunc cantanti
ſimilis. Aquam frigidam dari ſibi po
tandam tantopere appetebat; vt ea
ſubito ſe liberatum iri confidebat.

Toto hoc tempore ſe ter excęcatum, terq; in mortis agone colluctatum aſſerebat, lingua tamē perpetuò con ſtitit, nullo vnquam ſymptomate affecta, ſiquidem nunquā intumuit, nunquam is balbutire auditus eſt, cęterum ſeptima poſt ebibitum napellum hora, veneni tandem vi ab antidoto extincta, omnia euaſere ſymptomata. Arterię ad rectam rediere normam, naturalis reuiuixit calor, & breui quoq; virium conſtitit robur. Atq; in hunc modum miſer ille, magno conflictu, atq; certamine periculum ſuperauit. id quod manifeſtatur, de napelli immanitate Auicennam non ſcripſiſſe fabulas. quem tamen inſectans Fuſcius, leoniceni teſtimonio nixus, in eum acerri

me

me inuehitur, nec ſane eum, vt noſtri recentiores, principem, ſed tirannum, & homicidam nuncupat, eoſq; pariter deteſtatur, qui eius ſectantur doctrinam. quippe quod Auicenna ſcripſerit (vt inquit) napellum perniciosum eſſe venenum: mox ſubdit, quod linitum & bibitum delet albaras cutanei morbi genus. Quare, de re non poſſum non admirari Fuſcium, virum ingenio, & eruditione clarum, quod in tam celebrem, & antiquũ ſcriptorem paulo acrius & immodeſtius ſegeſſerit cuius rei varię ſunt opiniones, nos vero relictis Mauritanorum & græcorum ſententijs, quibus addicti eſſe nolumus, mihi quidem exiſtimandum non videtur, quod Auicenna vir ſane ſingula-

ri doctrina , & admirabili ingenio. ab omnibus recētioribus noſtris maxime commendatur, eodem in loco ſibi omnino contraria ſcripſerit: in veneno tàm ſęuo cui exiciales formidandáſq; vires tribuit.cuius rei firmiſſimum prębent inditium ſcripta Auicennę ab Andrea Bellunienſe caſtigata, in quibus nuſquā legitur Napellū bibitum albaras delere, ſed quod hoc efficit quędam eius confectio in potu ſumpta: verba enim Auicennę ſecundum caſtigationem Bellunienſis ita ſonant. Napellus delet albaras linitum ſicut, & confectio eius dicta alberzacali in potu ſumpta, ex quibus verbis plura mihi cōijcienda ſeſe offerunt, vt tuear Auicennā ſed cum hic tractandi locus non ſit & breuita-

tis cauſa alio dicenda poſt ponam,
hęc ſuperius iam dicta hiſtorię gratia
tractauimus ſed quid nobis dicēdum
erit (ſi tamen ſine vitio bona propria
laudari poſſint) de admirabili huius
olei virtute qua a cunctis liberat vene
nis, ſi de foris vngatur, vt ſuperius a
nobis longa tractatione actum fuit,
quam vis multis corroſiuis venenis
nō prodeſſe fatentur; nos tamen lon
ga vſi experientia contra corroſiua
venena reſiſtere vidimus, nam de
hoc experimentum habere volentes
binis columbis Arſenicum ſublima-
tum dulciaribus miſtum ad comme
dendum exibuimus, quod corroſiuū
venenum eſt, quarum vnam oleo
ſingula quaq; hora perunſimus, &
a morte liberauimus; altera oleo non

 illita

illita obiit, & hoc multoties a nobis tentatum fuit, & ſemper oleum contra corroſiua venena fortiter reſiſtere vidimus, quamuis aliquando in aliquibus ad veneñatis columbis eodem corroſiuo veneno tutā ſalutem non conſequutam fuiſſe viderimus quamuis fuiſſent oleo perunctę tamen per aliquas horas plus illa non vncta vitam ducere aperte conſpeximus; & hoc ratione caloris natiui columbarum iuſta eius complexionem prout magis minuſve corrodentibus venenis reſiſtunt; quod ſi in homine hoc expertū fuiſſet ſine dubio felix ſubſequtus fuiſſet euentus ratione maioris corpulētię, & meatuum laticudine in qua adeſt ſummā natiui caloris vis, quę facultatem expultri-

cem proritare habet, & venenum
acentro ad circumferentiam expellere, quod in illis paruulis animalibus conſequi nõ poteſt. propterea oleum in homine corroſiuis venenis epotis prodeſſe fatemur, & maxime ſi com munia loca qualibet hora dicto oleo perungerentur, & quanto potentius venenum erit, tanto celeriori, & breuiori tempore exterius alternatis vicibus reiterabimus. Ad maiorem cautelam exibemus Theriacam Magnã Andromaci, aut Mithridatum Damocratis tãto tucior res ſuccedet, quę vero in hac potentiſſima antidota ſunt, & maxime quando ſunt bene parata, vt ab eodẽ meo genitore Baſilio Galimio Aromatario in hac nobiliſſ. vrbe Meſſanæ publice ma-

guo Medicorum cetu fuerunt bene compoſita magnis ſumptibus, atq; laboribus anno 1590. quibus illuſtratis, multi poſtmodũ non ſolum in hac vrbe, verum etiam in Regno Siciliȩ componere tentarunt quomodo euaſerint, atq; euentum habuerint neſcio, ſed ſola experientia horũ prȩcioſorum antidotorum celebris, & admirabilis facultas quam in morbis, atq; omnis generis venenis profligandis habent in dies luce clarius cognoſcitur.

CAPVT PRIMVM.

De vniuerſali atque Communi oleorum conſideratione.

AGGRESSVRI oleorum tractationem huic noſtro paruo Opuſculo neceſſariã breuiter quo ad fieri poteſt pertractabimus. Multo quidem artifitio veteres vtebantur in componẽdis oleis ...ltifariã, vt ex Dioſcoride ſatis ſuperq; ...ſtat. oleũ docentes multis fieri modis: ...nc expreſſione, nunc impreſſione, cum ...erræ in ipſo maceratæ incoctæ quali...ẽm ſuam & vires in ipſo relinquunt. ...nc reſolutione, cum materiæ hetero...æ in corpore concluſæ, & veluti con...etæ, vi caloris ſeparantur, opera præci...e chymiſtarum de quo genere quantũ ...cet, agemus: plura autem ſi audire cu...is chymiſtas præceptores tibi adhibe, & ...ũ illis verſare. Primũ autem oleorum, ...uæ per expreſſionem fiunt, naturam,

& facultatem, atque extrahendi modum dicam. Inter admouenda medicamenta compoſita ſimpliciſſimum & vſu frequentiſſimum quidem eſt oleum ſimplex & compoſitum, ex eo quo & alijs quibuſdã fere reliqua conſtant vnguenta, cerata, & emplaſtra. Primum oleum proprie ſuccus eſt pinguis ex oliuis tritis expreſſus, vel immaturis qđ omphacinon ob id, & omotribes, ideſt, acerbum & crudum eſt appellatum, vel e maturis, quod oleum commune dicitur. Quæ olei communis differentię diligenter ſunt obſeruandę, vt medicamentorum ex his compoſitio i ſtior fiat. nam facultatibus ſecundum h differentias multum variant, & comp ſita quibus miſcentur, plurimum imr tant. Has igitur oleorũ differentias ſ apud Dioſcoridem in primo libro cap 31. habes.

Oleũ ſecundo loco abuſiue quod ęq uoce dicitur. ſuccus eſt oleagineus, tu ſeminibus, vt nucibus regiis auellanis, n ſchatis, amigdalis vtriſq;, nuce indica, A cardis, balano myrepſica, nucleo perſic rum, pręcocium, ceraſorum, prunorun piſtachiorum, ſtrobylorum, napi, ſinapi

canna-

cannabis, lini, ricini,ſtaphidos agrię, oni ci, citri, arancij, pomorum, pirorum, cucumeris, cucurbitę, melonis, citreoli, & alijs prope infinitis pinguem in nucleo ipſo, vel ſemine medullam ſortitis. Huic generi proximum eſt balſamelęon & petrelæon, illa duo genera ſunt ſimplicia, nec illis educendis ac exprimendis aliud miſceri conſueuit, prętet quam quod pauſillum aquę quibuſdam extrahendis miſcetur, vt alijs oleum commune paucum.

Tercio loco, eſt his affine genus tertium, quod eſt humor quidam oleaginus ignis uehementia extractus: humido etiam ſubſtantifico ſępe miſtus, idq; opera chimyſtarum in uentum, ſiue id oleum in capitellum ſurſum tollatur, ſiue in vas ſubiectum mox defluat. qualeex liquoribus, ſuccis multis, gummoſis, reſinoſis, cera, melle, lignis reſinoſis per multis educitur.

Quartum genus oleorum eſt om nino compoſitum ex ſimplicibus in oleo com muni, vel alio maceratis, in ſolatis, incoctis: quod genus quia latiſſime patet de eo nobis pluribus non eſt agendum. addo

quod

qđ oleum philoſophorum & alia quędam miſta ſunt, & in tertium ſimul, & quartum genus incidunt: de primo genere tanquam omnibus perſpicuo nihil dicemus. de tertio pauca quędam, de ſecundo, & quarto breuiter dicendum nobis eſt, quantum rei propoſitę ſcopus exigit.

Eſt enim multiplex oleorum operatio alia enim ſunt, quę per expreſſionē fiunt. Alia vero, quę per impreſſionem, ſicut quādo aliquod materiale ſuſcipit id quod in alio eſt ſecundum ſpetiem ſuam.

Alia quoq; fiunt per reſolutionem quādo virtute caloris disgregantur, & conſtat quod plurigena ſunt in concreto occulta & hoc maxime Alchymiſtarū eſt. et nos de his experimur, quę poſſumus. Tu autē aggredere alchymiſtas, & agitare cum illis qui fuſius ſcribunt & rerum occulta manifeſtant & detegunt. Sapientes tibi omnino legendi & imitandi ſi famæ illorum maxime cupidus es.

Fiunt enim olea quandoq; per expreſſionem ſicuti exprimitur ab oliuis, amidalis, & ſimilibus, quandoq; per impreſſionem & virtutem quam recipit oleum ab aliqua re intrinſeca ſecum ad miſta, ſicut

quandoq; aliquod materiale ſuſcipit illud quod in alio eſt, ſecundum ſpeciem, vt eſt in oleo chamæmillino, & rutaceo. ſit etiã oleum quandoq; per ſublimationem, ſicuti in oleo de lateribus. vltimo colligitur oleum per emanationem ab aliqua re extrinſeca ſicut oleum balſami, quod a quodam ſtipite fluit. & de pluribus iſtorũ Manardus mentionem fecit, propterea breuiter pertranſimus.

Oleum dum abſolute legis, oliuarum intellige: & nouum, quod etiam vim rerum in eo madentium facile ſuſcipit, & ita ſecundum genus a Meſue ſcriptum venit. Tertium inter omnia efficaciſſimum, pauci norunt elicere, ſed hi tantum qui artem chymicem vacatam callent. Hi enim ſunt de quibus Meſue dicit, quod uires, quę ſunt in concreto ideſt incompoſito occultę manifeſtas faciunt, Hos chymiſtas. iſ monet vt conſulamus. primum & ſecundum genus omnes parare ſciunt ideo de his nullam mentionẽ facimus abſoluta oleorũ in conſideratione pauca nunc de eius vſu nobis dicendum.

De communis Olei vſu apud Veteres. *Cap. II.*

COeterum mirum eſt quomodo veteres ſuis temporibus etiam vtebãtur a quibus eius vſus nobis commendatus venit quamuis diuerſimode. ſed etiam Antiqui vt agiliores, prõptiores, ac expeditiores euaderent ad obeunda corporis munera frequentius ſibi totum corpus oleo perungebant. Qua de cauſa & balneas frequentabant, & thermas. namq; olei contracta ſordes, vt corpora ſępius perluerentur, maxime expetebãt. Obibant autem id muneris ſerui in balneis, qui non modo corpus totum intrantibus. abluebant: ſed & ipſum quibuſdam ſtrigilibus abradebant ad hoc opus aptiſſimis, quas alij ex auro, & nonnulli ex argento quidam ex ferro, aliqui ex ebano, ac etiam ex preclaris lapidibus ſibi comparabant; deniq; pro nobilitate, & facultate eorum qui ad balneas confluebant. Qua propter dum ſe in ipſis balneis abradere, ſudoremq; emananrabant, olei ſtrigmenta,

quo

quo ſe prius perunxerant, in balnei aquam decidebant: quorum primo libro meminit etiam Dioſcorides. Fuit pręterea in magno, ac precipuo vſu apud veteres oleum ad perungendos athletas qui in theatris paleſtræ nudi luctabantur, non ſolum vt eorum corpora agiliora expeditioraq; in certamine redderentur, ſed vt etiam ij diffi cilius ſeſe manibus comprehenderēt. cum autem ibi puluis ob pedū frequentiorem motum concitaretur, athletę ipſi oleo affatim perúncti illum in ſe facile contrahebant; ac multo magis cum in terram alter alterum conſternebat. Quare balneum ingreſſi, ſtrigilibuſq; abraſi cenoſa ſtrigmenta relinquebant quibus arctuum affectibus Dioſcorides mederi tradidit. ſed cum plurimi athletę oleo copioſe perúncti inter luctandum paleſtrę parietibus, ac ſtatuis lapideis, ſeſe ſępius affricarent, contacta loca olei pinguedinem contrahebant. quo facile fiebat, vt aduueniente puluere cęnoſum quoddam vnguem inhęreſceret.

De communis Olei Facultatibus. *Cap. III.*

DIoſcorides libro primo oleũ ſi cum pari portione vini Cretici calidum bibatur, aut clyſtere infundatur, colicos, iliacos, & calculoſos dolores mirifice mulcet. Communis olei facultates fuſius proſecutus eſt Galenus libro 6. de ſimp. med. facult. ſic inquiens. oleum quod ex oliuis conficitur, quod ſane propriiſſimo nomine oleum appellamus, cuiuſmodi ſit temperaturę, quippe humectatorium eſſe, & moderate calidum, cuius communis olei facultates tanquam omnibus notas ſilentio pertranſimus. ſufficit tantummodo nobis breuitati ſtudentibus paucis de ęquiuoco noſtro oleo non naturali, ſed compoſito, quod Carauitę appellatur dicere. & in quartum incidit oleorum genus. quod ex ueteri communi oleo, & multis contra venena ſimplicibus componitur, in quo infunduntur, inſolantur, macerantur, & tandem ad chymiſtarum genus accedit nã m[illegible] ſimplicium impreſſiones & virtu-

tes

tes recipit propterea hic modum & ſimplicia quę pręſens oleum componunt non tradimus, nam hęc omnia ſigillatim recenſere volentes non breuitatis, ſed prolixitatis eſt opus & quoniam breuiter hęc omnia dicere decreminus in alijs voluminibus tractanda.

DE TEMPERAMENTO *Olei Scorpionum Compoſiti Deſcriptione Carauitæ cum legitima additione Sereniſſimi Magni Ducis Florentiarum. Cap. I.*

QVo ad primas eius qualitates nonnulli calidum & ſiccum eſſe aſſerunt, ſed in quo gradu, & manſione ſit omnes inter ſe diſcrepant, & pauci ſunt, qui determinare audent, tamen maior eorum pars in fine ſecundi gradus calidum, & ſiccum eſſe cui etiam libenter aſſentio.

Quantum ad ſecundas eius qualitates, eſt attenuatiuum, Reſolutiuum, rarefa-ctiuum, Aperitiuum, & Penetratiuum, vnde ſua tenuitate alias eius virtutes robo rat, & hoc proprie penetrationis auxilio prçſtat. nam non eſt pars tam profunda, nec adeo arcta via, nec tam denſa, quam in totum non penetret. Sciendum itaque quod inter ſecundas eius principales qualitates Reſolutiua preſtantior quidem eſt, qua notabiliter operatur; ſi enim materia profunda eſt, ſua penetratione ipſam attingit, ſi craſſa, ſua etiam tenuitate attenuat, & tandem obſtructas vi: dilatando, aperit.

De Facultatibus Olei Carauitæ. *Cap. II.*

SVa igitur Reſolutiua Facultate, omnes frigidos morbos, atque veneno-ſos, Pituitoſos, & ab aliena humorũ hete rogeneorũ confluxione miſtos curat, ſicuti aurium tinnitus, ſurditates, memoriç defectus, Tremores, ſpaſmos, Paraliſim, œdematoſos tumores, Aſthma, Tuſſim;

atq;

atq; etiam morboſo capiti affectus ex frigida cauſa hortos mirifice iuuat: curatque etiam pectoris, coſtarum, ſtomachi, dorſi, lumborum, ſplenis, ventris, laterum, Renum, colicas, atq; iliacas, veſicę, Matricis, Hemorrhoidarum, Neruorum, muſculorum, iſchiadis, Podagrę & tandem omnium iuncturarum affectiones tollit.

De eodem ad Surditatem.
Cap. III.

AD Aurium tinnitum, & ſurditatem a frigida cauſa prouenientem, peractis conuenientibus vniuerſalibus inſtillatio de iſto oleo tepide in aurem bis in die mirifice valet; nam ſua caliditate omnem craſſum vaporem a uentoſa, & frigida cauſa prouentum, diſcutit atq; reſoluit.

De eodem ad Defectum Memorię.
Cap. IIII.

QVando adeſt defectus memorię ſeu diminutio eiuſdem, tunc frigiditatem,

tem, aut humiditatem arguit nam omnis immoderata diſcraſia deiicit actū propriȩ virtutis, & tunc memoriȩ locus dicto oleo pluribus eſt vngendus, & euadet. Aduertendo tamen quod non inconuenit etiam aliquando memoriæ defectum a ſuperflua ſiccitate poſſe generari, nã in debita ſicci moderatione memoria perſiſtit a ſuperflua tamen deſtruitur, & tunc vniuerſales purgationes competunt, deinde vtendum eſt humectantibus.

De eodem ad Tremorem.
Cap. V.

QVando fit tremor tunc minuitur potentia regitiuȩ virtutis & per ſentitur corporis grauitas ad inferiora trahens, & tunc eius cura eſt, vt prius vniuerſalis purgatio fiat teſte Galeno in libro de tremore, rigore, & conuulſione cap. 8. poſt modum ad vnctionem olei Carauitæ deueniendum, quo tepide fiant frictiones reſoluentes fortiter per vniuerſum corpus, & eius trementia membra ter in die terque in nocte vngantur, & precipue colli

nuca

nuca, atq; pulſus ſimul cum corde, & liberabitur.

De eodem ad Spaſmum. Cap. VI.

QVādoq; Spaſmus fit ab humiditate, & tunc ſubito fit, quandoque paulatim, & tunc a ſiccitate, quandoque a punctura, vel vulnere, quandoque etiam acutiſſimis chylis exiſtentibus in ſtomaco, & tunc vomitus ipſum curat ex tertio de locis affectis cap. vii. cum autem ab humiditate proueniat, tunc purgatio ſeu euacuatio eſt adminiſtranda, & eo tempore calefactoria conueniunt ſicuti appoſitio talis olei in affectis partibus ſimiliter fit ſi a frigiditate prouenerit, tamen non eſt tum temporis prouocanda febris ſicuti calefactorium conſumans materiam facientem ſpaſmum. verum & ſi Hippocr. dicat melius eſſe febrem ſuperuenire ſpaſmo, quam econuerſo non tamen iubet febrē prouocandam eſſe, vt nonnulli Medici faciunt, tutius ergo erit in curatione ſpaſmi humidi cum medicamentis eius cauſam auferentibus laborare, quam febrem prouoca

re quod ſi ſpaſmus in toto corpore fuerit. non exiſtente neque alienatione, neque ſtupore, tunc cauſa eſt in ſpinali medulla, quę eſt in collo ex primo de ſymp. cauſis, cap. 8. & tunc inungatur collus ſimulque ſpinalis medulla & membrum in quo eſt ſpaſmus dicto oleo, quod ſanat ſimul uulnerum, ſpaſmum ſi tres guttę in vino, aut in pulli gallinacei iure bibantur, curatque etiam ſi tribus ſingulis horis circa vulnus, & cordis locus vngatur, nam liberat a ſpaſmo ſi nucam,& vulneris emũctoria vngas, ac quoque nonnulli laudant in ſimplicibus vulneribus, & ſuperficialibus ſi intus dictum oleum apponatur.

De eodem ad Paraliſim. Cap. VII.

PAraliſis curatio, quam alij neruorum ęgritudinem vocant, ſi a mala temperie nuda prouenerit, tunc eius cura eſt alteratio ad oppoſitum, quod ſi a temperie cum materia tunc primo erit euacuanda materia, deinde corrigenda intemperies, quod ſi etiam generationis paraliſis vulnus, aut percuſſio fuerit noſtro ute

re

re oleo. quando ab humiditate fit, ſubito accidit, quod ſi paulatim a ſiccitate, Commune regimen in curatione paraliſis, tortu rę oris, ſpaſmi, & tremoris eſt, vt omne regimen ſit ad nucam, vbi eſt neruorum mortuorum origo, quod fit per appoſitionem dicti olei, quod ſi tribus ſingulis horis in nuca apponatur liberat a paraliſi nã ſua virtute omnes corroborat neruos, & tandem ſua caliditate omnẽ humiditatem reſoluit, illoſq; ab omni obſtructione defendit.

De eodem ad Apoſtemata Frigida, & Primo de vndimia. Cap. VIII.

A Poſtematis mollis phlegmatici, dicti undimię cura tio fit per frictionem aſperi panni oleo noſtro intincti, mane, & ſero, nam cum craſſa ſit materia generans ipſum apoſtema oleum iſtud ſua tenuitate attenuat, atque reſoluit, & hoc proprie penetrationis auxilio atque ſuarũ ſecundarum qualitatum virtute pręſtat.

De eodem ad Aſthma, & Catarrhum Frigidum. Cap. IX.

ASthma, quod fit propter cauſam exiſtentem in pulmone, aut propter deſcenſum catarrhi a cerebro per communitatem aliorum membrorum, vt inquit Galenus in libro de Dyſpnęa quod omnis reſpirationis inęqualitas, aut propter anguſtiam, aut muſculorum thoracis motum delinquentem, aut imbecillitatem virtutis motum efficientis prouenit, quandoque pulmonis vitio fit, & tunc vna quoque patitur thorax. periculoſus quidē affectus eſt, pereunt enim multi ſubita ſuffocatione ſeu præfocatione; & tunc quaſi ſuffocati ſpumam emittunt, & etiam ſunt illorum facies tumidę, liuidę, atque eorū oculi quaſi foras pręeminent: quandoque fit propter impedimentum in ipſo pulmone, & partibus eius tantum; quandoque prouenire poteſt aſthma ex deſcenſu catarrhi, & tunc fit ſubito & per paroxyſmos, prout multiplicatur eius deſcenſus ad partes pectoris, & pulmonis. quandoque

poteſt prouenire a cauſa exiſtente in pulmone, & meatibus ſpiritus, & tunc conuenit ĩ thorace applicatio dicti olei ſi Morbus in pulmone fuerit, ſi a cerebro catarrhus deſcenderit inrigetur tali oleo totum cerebrum ſimul cum nuca, & Pulſantes temporum arterię, & hoc pluries reiterabis. quia ſua caliditate omnem reſoluit frigiditatem ob ſecundas eius qualitates ideſt ob eius ſiccitatem omnem humiditatem in cerebro exiſtentem exiccat, & tandem omnes cerebri, atque pulmonis virtutes roborat nam omnes deſiſtit fluxiones, & hoc proprie præſtat ob reſolutiuam eius facultatem, quę pręſtantior quidem eſt inter ſecundas eius principales qualitates, qua notabiliter operatur, nam ſi materia eſt profunda oleũ iſtud ſua penetratione ipſam attingit, ſi craſſa ſua tenuitate ipſam attenuat, & tãdem omnes obſtructas vias dilatando aperit.

De eodem ad Dolorem Pectoris. Cap. X.

PEctoris dolor ſi a deſcenſu rheumatis cauſatur. qui a capite per nucam delabitur

bitur ad neruos thoracis inter coſtas, & cum natura mittit calorem naturalem ad eas partes vt illud rheuma conſumat, cum calefit, ſubtiliatur, & in uapores conuertitur, qui cauſant dolorem illum in pectore, quapropter vltra appoſitionẽ noſtri compoſiti olei in pectore, atque in colli nuca, mundificandum eſt caput, & abſcindendus eſt ille rheumatis deſcenſus, eo modo quo conuenit ſi perſeuerauerit.

De eodem ad Dolorem Coſtarum. *Cap. XI.*

HOc quidem oleum coſtarum dolores ex frigida cauſa hortos tollit ſi tepide apponatur, & hoc pluries pręſtabis nempe mane, & ſero, coſtas, ſimul cum nuca vngendo, nam oleum iſtud ob aromata calidum, propterea frigidum morbum tollere dicimus.

DE

88.

De eodem ad dolorem Stomachi. Cap. XII.

STomachi dolor cum ſit a pura intemperie, tunc curatur alteratione in oppoſitum ducente: vel cum materia, quę continetur in ventriculo, aut effunditur ab alijs membris, ſicuti cerebro, hepate, vel ſplene. Quando enim ab alio membro effunditur tunc purgãdum eſt quod in ſtomacho reperitur: deinde rectificãdum eſt membrum mandans, poſtea roborandus eſt ventriculus tali oleo mane, & ſero ante cibum. ſi uero materia contineatur in ſtomacho, aut in ſinu ſtomachi natauerit, aut ſi in poroſitatibus tunicarum ventriculi imbibita fuerit, quando meteria fuerit in cauo tum intus purgantia medicamenta exoluẽtia et hoc oleum extra curant, & pręcipue ſi cum vomitu fiant. Quando vero eſt imbibita ĩ tunicis nulla melior medicina reperitur iſto oleo. Quando quoqu dolor a uentoſitate fit noſtro curatur ole ſi ieiuno ſtomacho apponatur; cõfert et ſtomacho frigido & humido facitq; dig-

rere cibum craſſum, & in hoc mirabilem proprietatem habet nam omnem diſcutit flatum omneſque crudos humores concoquit, liberat ab hypochondriorum inflationibus, atque a conuerſione cibi in ventoſitatem ſi ante, & poſt cibum ipſi uentriculo dictum oleum apponatur, & hoc virtute primarum, & ſecundarum qualitatum quibus operatur, nam virtute primarum cum ſit calidum omne frigidum calefacit, omneq; humidum exiccat ratione vero ſecūdarum qualitatum omne craſſum attenuat, omne durum reſoluit, omne denſum rarefacit, omne clauſum aperit, & tandem omne profundū penetrat, atque attingit, ſic etiam ab Andrea Mattheolo commendatum venit. libro ſecundo ſuper Dioſcoridem cap. xi. hoc oleum omnes ex flatu, vel ex frigore dolores mulcet præſertim ſtomachi.

De eodem ad Dolorem Dorſi. *Cap. XIII.*

QVod ſi dorſi dolor, atque lumborū ex frigido, aut humido humore fiat perſen-

perſentitur eo tempore dolor & grauitas, qui ex flatu fit cauſans dolorem, atque diſtenſionem qui hominem flectere non permittit. cura quidem fit calefaciētibus, diſcutientibus, reſoluentibus, atque eſiccantibus, & hoc totum citius, & commodius per noſtrum oleum fit, vngendo tepide dorſum atque lumbos ſimul cum colli nuca mane, atque ſero.

De eodem ad Tumores, Durities atque Dolores Splenis. Cap. XIIII.

SPlenis tumor quando ex melancholico ſanguine in maiorem quantitatem redacto apparuerit, vel ex flegmate, vel ex flatuoſis ſpiritibus, atque etiam pluribus alijs de cauſis, a quibus hę ſolent prouenire affectiones, quę poſtmodum tumores, durities atque dolores appellari conſueuerunt, quę omnia ſi a frigida, aut humida cauſa prouenerint per vnctionem noſtri compoſiti olei bis in die tepide factam curantur.

DE

De eodem ad Dolores Ventris. Cap. XV.

VEntris dolores per unctionem noſtri olei ſedantur, dummodo ex frigidis proueniant cauſis, aut ex flatuoſis cauſentur ſpiritibus, peractis aliquibus confortantibus enematibus.

De eodem ad Lapidem Renum, & Veſicę. Cap. XVI.

QVando incipit dolor in rene, & in latere, ſecundum deſcenſum pori vreteris, tendentis à rene ad veſicam, adeſt quoque frequentia mictus, aut vrinę retentio, tunc incipe à leuioribus, primo exhibendo clyſtere, ſi opus fuerit, poſtea vngelatus dolentis iſto compoſito oleo, & hoc ter, aut quater ſi opus fuerit facies; nam ſi fuerit vrinę retentio ſtatim prouocabitur per appoſitionem olei in rene, & in pectine, nam vias obſtructas ſua calidi-tate dilatando aperit, & per conſequens

ſubito

o vrinam ciet. ſi affuerit quoque frequentia mictus, paulatim virtute ſecundarum eius qualitatum ſupprimit, nam ſua ſiccitate omne exiccat ſuperfluum, & actũ propriȩ virtutis deiectum corroborat, atque omnem diſcraſiam ad ȩquam reducit temperiem; & ſi in renibus, aut veſica lapis adfuerit, frangit eum; & hoc a Meſue etiam comprobatum venit in ſua diſtinctione xii. de oleis, vbi ſic dicit, oleum hoc quod ex Scorpionibus compoſitum vocat, lapidem renum, & veſicȩ frangit, & expellit; lumbis, pubi, perinȩo illitum, aut per meatum vrinarium iniectum ſanat, quod etiam Leonellus Fauentinus in curatione lapidis in veſica commendat, vbi ait, ſi autem accipiatur hoc oleum, & ungatur locus, in quo eſt lapis, educit lapidem; ſimiliter ſi cum ſiringa iniiciatur in locum lapidis, quando eſt in veſica; cum enim oleum iſtud attingit lapidem, frangit illum.

De eodem ad Colicam Paſſionem. *Cap. XVII.*

COlica paſſio, a principio, ſiue ſit a ventoſitate, ſiue a materia craſſa flegmatica, ſiue a retentione fecum, iuuatur clyſterijs primo lenientibus cum aliquali ventoſitatis carminatione, & maxime ea in qua feces retinentur, ponendo pinguedines Anatis, & galline, & parum noſtri olei nam anodinum & doloris ſedatiuum eſt. quandoque a craſſis prouenit humoribus que interiorum membrorum dolores generant, & tunc intus, & extra indubitanter noſtro vtere oleo, idem confirmat Andreas Mattheolus in ſecundo libro ſuper Dioſcoridem cap. xi. oleū hoc compoſitum omnes dolores ex flatu, vel ex frigore genitos mulcet præſertim coli vngendo dolentis partem.

De eodem ad Iliacam Paſſionem. *Cap. XVIII.*

SI iliaca paſſio a craſſis, ac viſcidis humoribus prouenerit, vel a pituita, vel a ſpiritibus, aut a craſſiori ſubſtantia diſtendēte, quod in colico dolore non euenit, quia hoc inteſtinum cum ſit multum capax, non poteſt obſtrui ita, vt prohibeatur fæcum deſcenſus, tum quia dolor eſt maior, quia membranoſius eſt ileon inteſtinum, quam colon, & ideo inter ſe differunt; ex ſitu doloris etiam diſtinguuntur huiuſmodi affectiones, quia dolor ilij manet ſemper in regione vmbilici, hoc enim inteſtinum ſuis amfractibus ilia & ſedem vndique vmbilico ſubiectam atque conterminam implet, & in tali affectione vtimur tali oleo, quod quidem omnem diſcutit flatum, omneſque humidas ſuperfluitates exiccat, vngēdo dolentis partem. alij inter ſeſſum, & penem quam dolentis partes colicos, atque etiam iliacos dolores curaſſe affirmant.

De eodem ad Dolores Matricis. *Cap. XIX.*

QVando matricis dolor eſt ante & retro, in femore & iſchio, & per totum ventrem, parum noſtri olei impone, & exteriores lini partes, & tunc non poſſunt neque ſurgere, neque dormire, quando ſic patiuntur, & hoc remedium ſanat eas. ſi uero dolorem pectinis, dorſi & ventris, frontiſque patiuntur, & diu ſtare non poſſunt, noſtrum oleum cum optimo vino tere, & cum petia ſuppone. illę vero, quę matricis dolores patiuntur, ſi cum viro dormiunt, & paſſio perſeueret, colicę fiunt; vniuerſaliter autem venas latas habent, & ſunt libidinoſę, natura intumeſcit eis plus interius quam exterius: patent palpebrę oculorum quando concūbunt, curabis ſic, pone peſſarium ex iſto oleo factum, in ore matricis, etiamque hoc oleū ſuper ventrem poſitum, tollit dolores matricis; ventris, Renum, &c. qui fiunt a cauſa frigida, tumores, omneſque durities, atque matricis inflationes ſanat, ſi intus,

&

& extra apponatur & hoc proprie penetrationis auxilio pręſtat.

De eodem ad Sedandum Hęmorrhoidarum Dolorem. Cap. XX.

OPtimum eſt hoc oleum ad ſedandũ hęmorrhoidarum dolorem, & maxime quando hęmorrhoidæ non fluunt, ſed extra apparent, tunc bis in die noſtro vtere oleo.

De eodem ad Inciſiones Neruorum. Cap. XXI.

IN uulneribus, & inciſionibus neruorum, ſi nerui ſint diſcooperti cõuenit, vt embrocentur, caput, collum, & ſpatula oppoſita, iſto oleo calido tribus ſingulis horis, & ſuper vulnus etiam, & non aqua, quia aqua in puncturis neruorum peſſima quidem eſt. Quando vero nerui ſunt inciſi ſecundum latum & non ſecundum totum incidatur totus neruus, vt acquiratur ſecuritas a ſpaſmo, & poſtea no

ſtro medere oleo tepide; quod ſi locus ſit inciſus, & circa ipſum ſit tumor, tūc admi niſtranda eſt phlebotomia, ſubtiliter dietando omnino quieſcat in molli culcitra, & plena, & alę, & collum. Si uulnus ſit in manu, vel brachio, vtere oleo, ſi uero vulnus ſit in pede, embrocentur inguina cum dicto oleo calido, vſque ad oſſa dorſi, colli, & capitis. ſi neruus ſit contuſus, & cutis cum eo contuſa, ac vulnerata ſit, hoc applicetur oleum, ſi uero neruus ſit contuſus, embrocetur, ſępius dicto oleo calido, quia reſolutiuam virtutem habet. ſi vero a contuſione fuerit dolor, etiam di cto oleo curatur, quamuis contuſio ab attrictione differt, quoniā cōtuſio in lacer ti parte carnoſa fit, attrictio vero in neruo, cum febre, vel fili eius inciduntur, vel contunduntur, propter eorum extenſionem, etiam iſtud laudamus oleum; in pun cturis etiam vſque ad neruum ſub cute, di mittatur vulnus apertum, & fomentetur locus cum dicto oleo, facta prius phlebotomia, & purgatione ſi expediat. Cauenda tamen ſunt in hoc olea ſtiptica, ideo libere noſtro vtimur oleo, nam inciſos neruos conſolidat, & luxatos componit. In punctura

ctura, ſi illud, quod currit ad locum punctur ę non reſpirat, ad venenoſam naturam mutatur, & fit ſpaſmus: aut illic putreſcit, & fit apoſtema; vt igitur hoc euitemus periculũ, ſingulis tribus horis calido noſtro vtimur oleo, ex eo quod neruorũ punctionibus proficuum, atque etiã poſt ſecundam, aut tertiam diem contuſionibus eſt iuuatiuum valde, ſi parum olei ſuper contuſam partem apponatur.

De eodem ad Dolorem iuncturarum Podagras, & Ventoſitates. Cap. XXII.

BReuiter pertractamus de affectionibus ex frigida cauſa prouenientibus, tam in muſculis, quam in iuncturis; ſi huiuſmodi dolor manus inuaſerit chyragra dicitur, & eſt morbus in iuncturis, & tunc vnge manus dicto oleo, nã intenſum frigus in iuncturis fixum, & maxime in decrepito expellit, atque reſoluit. ſi uero talis affectio, ex frigidis humoribus dependens, etiam ſi pedes occupauerit in quibus multę ſunt iuncturę, podagra dicitur, & tunc oleo noſtro illos vnge, & eua

 dent,

dent, quia omnes crudos, frigidoſque hu mores concoquit, atque calefacit, craſſam ventoſitatem fugat, atque diſsoluit; iſtud enim oleũ ad arthriticos valde gene roſum eſt, confeſtim iuuans, cõſumans hu miditatem quę eſt in profundo, & hoc pro prie penetrationis auxilio pręſtat, nam precioſiſſimum quidem remedium in his affectibus, atque in mille alijs a frigidis cau ſis potens eſt, vtpote ad omnem dolo-- rem in iuncturis, frigus intenſum, obliuio nem maxime in decrepito, ad ſodam, ad frigidos humores, ad vapores ab his hu- moribus ad cerebrum eleuatos, ad phleg- maticam tuſſim, ad ſtomacum preparan- dum, vt gallę Corium pręparant, atq; ad ipſum rectificandum, & fugandum craſ- ſam ventoſitatem, ad cibum digerẽdum, ad excitandum appetitum, ad reſoluen- dum quod ex flegmate incraſſatur in ſto- macho, ad acuendum viſum, & mentem, ad delendam obliuionem, ad clarifican- dam vocem, ad tardandam canitiem, & diſſoluẽdam podagram a frigida cauſa hor tam, & ſi quicunque ſenex vtitur tali oleo, non indiget alia medicina in conſeruatio- ne ſuę ſanitatis.

De

De eodem ad Malignas, ac Peſtiferas Febres. Cap. XXIII.

MVlta mihi dicenda in hoc capite ſeſe offerunt, non ſolum de virtutibus iſtius olei, verum etiam habita occaſione breuiter de differentiis, ac diffinitionibus harum febrium aliquid dicere decreui, unde notandum, quod apud Medicos iſti reperiuntur termini: peſtilentia, peſtis, Epidemia, & Endemia, quibus & ſi aliquando tanquam ſynonimis vtamur, inter ipſos tamen eſt differentia. peſtilentia tamen ſecundũ Haly Abba, quinto Theoricę, eſt mutatio aeris a ſubſtantia & natura propria & qualitate, in putredinem vel peſſimam qualitatem vniuerſaliter multũ peſtiferam; & huiuſmodi aer ſic corruptus & alteratus, aliquando facit febres peſtilentiales, aliquando non facit febres, ſed apoſtemata carbunculoſa inducit, anthracis, morbillos, variolas, althoyn, prunas, carbunculos, & huiuſmodi. Auicenna vero ſecunda primi, inquit: Peſtilentia eſt corruptio, vel putrefactio quę accedit aeri

ſimilis putrefactioni aquę remollientis fetidæ. Peſtis vero ſecundum Iſidorum quarto Etymologiarum eſt contagiū,quod cū vnum apprehendit, celeriter in multos tranſit. Gignitur autem peſtis ſiue peſtilentia,ſiue paſtulentia ex corruptione aëris, & licet ſæpiſſime per aëreas poteſtates fiat, tamen ſine arbitrio omnipotētis Dei non fit,vt dicit Auenzoar tertio Theyſir,& Seneca in Tragœdia Herculis furentis,Quicquid facimus mortale genus, Quicquid patimur venit ab alto. Galenus etiam ſuper illo verbo Primi prognoſticorum; eſt & quoddam cæleſte, in quo oportet ipſum Medicum præuidere ; &c. inquit,inuenimus Philoſophos dicentes, Multoties in Mundo currit regimen eius cum vſu bonitatis, quæ eſt Creator benedictus, & ſublimis,in quo eſt præuiſio. & illud idem clare expreſſit Auicenna 10. ſuæ Metaphyſicæ, primo Cap. vbi inquit, intende ergo & attende diſpoſitionem iſtorum omnium, & crede quod dicitur de diuinis flagellis, quæ deſcendunt ſuper homines iniurioſos, & conſidera qualiter defenditur veritas, &c. Dicitur autem peſtis, vel peſtilentia quaſi paſtulentia, quod veluti

ſncendium depaſcat, & toto deſcendat corpore, & dicitur contagium a contingendo, quia quem tangit, polluit. Quod ſi velles morbi peſtilentialis, aut etiam febris peſtilentialis (ſubintellecta tamen prius generali febris diffinitione) nouam diffinitionem audire, hanc apprehende: Morbus peſtilentialis, eſt diſpoſitio pręter naturalis, contagioſa, ex aeris corruptione in propria ſubſtantia & qualitate cauſata: & varios vario modo apprehendens ſubito, & apprehenſum apta raptim interficere.

Epidemia vero quæ & morbus peſtilentialis vniuerſalis dicitur, eſt quando ex aeris mutatione, ad corruptionē pluribus hominibus fit, determinatum genus ægritudinis ſubito irruentis, quemadmodum uidemus aliquādo quod talis eſt aeris diſtemperantia, quod fere omnes infirmi patiuntur morbillos contagioſos, aut pleureſim ſimiliter contagioſam, vel ventris fluxum & huiuſmodi, ita quod aliquando moriuntur duo vel tres aliquando plures in vna domo in modico tempore; iſtę ægritudines poſſunt dici peſtilentiales, vel peſtis, dicente Ariſtotele prima Problematum problemate ſeptimo, quod omnis

ægritu-

ægritudo,quæ ex aeris corruptione fit, eſt contagioſa, & Peſtis dicitur, vel peſtilentialis ægritudo. Differt tamen huiuſmodi epidemia a Peſtilentia proprie dicta: quoniam in epidemia fit determinatum genus ægritudinis in omnibus, vel quaſi: in peſte autem propriiſſime dicta fiunt ægritudines diuerſorum generum prout adeſt complexionis præparatio, vt etiam Galenus dicit ſecundo de different. febrium, paſſuri corporis diſpoſitio eſt principaliſſima particula generationis ægritudinum. idem confirmat ſecundo de accident. & morbis, quod etiam Auicēna prima quarti, Hinc eſt quod varijs varij accidunt morbi, vt puta aliquibus accidit febris cōtinua peſtilentialis, aliquibus tertiana peſtilentialis, & ſic de reliquis ſpetiebus febrium humoralium. Aliquibus accidūt bubones ſeu apoſtemata emunctoriorum, Alijs althoyn, alijs carbunculi ſeu pruna, aut morbilli, vel variolæ, aut aliæ puſtulæ malignæ, & quidem aliquibus iſtorum nulla aduenit febris apparens, & ab aliquibus vocatur morbus peſtilentialis particularis, ideſt particulariter, & diuiſim ſparſus. Deinde dicitur, ſubiecto apprehendens, quia

ſi paulatim malignetur humor, etiam perueniens ad totum gradum malitię, quantus eſt in peſte, non tamen propter hoc dicetur peſtis, iſta particula, ſubiecto, eſt per quam peſtilentia & epidemia differunt ab endemia. Epidemia enim quę & peſtis dicitur (licet differenter) ſubito euenit: Endemia vero paulatim, poſtremo additur. ad omnes malignos igitur affectus noſtrũ compoſitum oleum mirabiliter valere dicimus, tum intus, tũ extra ſumptũ, vt nonnulli etiam in peſte per os audacter exibent, vt Manardus ſuper oleum de Scorpionibus compoſitum Meſue dicit. oleũ Scorpionum paratur nunc cum oleo Antiquo, additis multis ſimplicibus medicamentis ad venena laudatis. eſtque mirabile in Peſtilentia, & venenis omnibus. Scio ego hominem, qui hoc ſolo munitus, ſæuiſſimam quantumuis peſtilentiam nihil facit. Nec ſolum ſeipſum, ſed, & famulos ſecum ad viſendos peſtilentia affectos accedẽtes incolumes cõſeruat, ſcio & ex ſola vnctione aliquos liberatos, qui ſæuiſſima biberant venena. Siluius in eodẽ loco, paratur etiam nunc oleum medicamentis ad venena iuuantibus, fitq; oleum

miran-

mirandarum virium contra omnia venena & peſtilentiam, & ſola vnctione quoſdam a ſęuiſſimis epotis venenis ſanos fuiſſe, effectos. Ob Scorpiones frigidũ oleũ iſtud eſt, poſterius ob aromata calidum, & efficacius, non ob horum calorẽ, & eſſentiæ tenuitatem ſolũ (quibus aperit) ſed etiam incidit, tenuat, tergit, atque perrumpit, & hoc totius ſubſtantię Scorpionum proprietate, & (vt loquuntur) forma ſpecifica.

VARIAE DOCTORVM Auctoritates de virtutibus eiuſdem olei. Cap. I.

ALexander Maſſaria in ſuo tractatu de peſte, mirum immodum celebrat oleũ e Scorpionibus compoſitum, non illud quidem vulgare, quod paſſim officinæ habent, ſed, quod Carauitæ appellant, & quod Summis Pontificibus, &

Principibus viris acceptum, referunt; quo inunctis pulſantibus temporũ, manuum, ac pedum arterijs, atque in primis regione cordis, non modo peſte affectos iuuari, ſed ſanos etiam pręſeruari ait.

Idem paulò poſt infra ait, apparente bubone primum quidem ſi adhuc fluxio nõ perſeuerat, & uehemens urget dolor, ſedulo hunc aliquo anodino medicamento appoſito foue, ut eſt oleum iſtud, quod Carauitæ appellatur, & hoc apud me eſſet medicamentum in initio ualde accommodatum.

Antonius Fumanellus in ſuo libro de Peſte Cap. xii. ait; Linimentum præſtans a peſtifera febre præſeruans ipſamq; curans, valet tamquam Alexipharmacũ ad uenenum, & linitum, & bibitum ad morſus uenenoſos, & uermes, & pleureſim, ſanguinisque profluuium, quod ſi dracma una, uel duæ epotæ fuerint, miraberis de eius effectibus.

Iacobus Vechierius in ſpeciali Antidotario libri ſecundi Cap. 18. ſic ait, oleum Scorpionum compoſitũ mirandarum eſt virium contra malignas, & peſtilentes febres, atque venena omnia mortifera ſi bi-

batur, & exterius arteriç omnes pulſatiles illinantur, cordi partes adiacentes, occiput, ſpondyli, colli, nares, & quod ſupra furcam clauiculamve exiſtit iugulum. oſq; ventriculi, quod ſtomachum vocant. Vltra Manardus ſuper idem oleum dicit, quod oleum Scorpionum nunc paratur oleo antiquo, additis multis ſimplicibus medicamentis, ad venena laudatis, eſtque mirabile in peſtilentia, & venenis omnibus.

Hieronymus Donzellinus in ſua Epiſtola de Peſte. ſimul cum clariſſimo viro Mattheolo, qui in ſuis Commentariis ad ſeſtum librum Dioſcoridis vbi e Scorpionibus oleum compoſitum facit, ſic ait, cuius ſumma vis eſt in profligandis venenis omnis generis, atq; malignis febrib9. Eius vnius ope nobiliſſimus Medicus Antonius Muſa Braſauola meminit, cum eſſet Ferrariæ in eodẽ Cœnobio curatas fuiſſe a veneno virgines ad quadraginta, quæ pridie eandem placentem deguſtarant, ex venenatis oleribus confectam. Eius vſum in curandis malignis, ac peſtilentibus febribus plurimum commendat ſi exterius certis corporis partibus illinatur. Mirabiles huius vires.

res. Ego etiam frequentiſſime tali oleo utor in huiuſmodi curandis malignis febribus; & vnicum eſſe antidotum cognoui.

Idem Ioſeph Dacianus in ſuo Tractatu De Peſte ait.

Miraculoſum eſſe oleum de ſcorpionibus compoſitum ab excellentiſſimo Matthiolo in ſingulariſſimis eius tractationibus ſuper Dioſcoridem in ſecundo libro in capite de ſcorpionibus terreſtribus ait, cordi dumtaxat, & pulſantibus temporum, manuum, & pedum arterijs illitum, ab omnibus liberat febribus, atque etiam venenis omnibus, dummodo erodenti facultate vacent, quin & eos ſanat, qui tam a viperis, quam cæteris venenoſis animalibus, vel icti, vel demorſi fuerint. ipſe tamen cum ab ipſo excellentiſſimo Matthiolo parum dicti olei receperit in ſeipſo, atque etiam in ſuis amicis expertus fuerit, & mirabilia vidit.

Andreas Matthiolus in ſecundo libro ſuper Dioſcoridem Cap. XI. inquit ipſe

tamen illud vſu exploratum habet, quod oleum per ipſum factum, in quod ſane magnus ſcorpionum ingreditur numerus, cordi dumtaxat, & pulſantibus temporum manuum, & pedum arterijs, tribus ſingulis horis illitum, ab omnibus liberat malignantibus, ac peſtilentibus febribus, ac etiam ab omnibus venenis, dummodo erodenti facultate vacent, quin, & eos ſanat, qui tam a viperis, quam cęteris venenoſis animalibus, vel icti, vel demorſi fuerint. qua de re hi (abſit tamen verbis iactantia) teſtimonium perhibere poſſunt, qui prius oleo Sancto a Sacerdotibus illiti, noſtro poſtmodum peruncti, euaſere incolumes. præſtat itaque maxime hoc oleum, cum in homines peſtilentia ſęuit quippe quod non modo peſte infectos iuuet, ſed & ſanos pręſeruet, atque etiam nos a petechijs cum maligna febre ægros, liberare dicimus. pręſtat denique ad omnes interaneorũ vermes, omneſque dolores mulcet ex flatu, vel ex frigore genitos. & hęc ſatis dicta ſufficiant de Doctorũ comprobationibus, reſtat nunc dicere de pręcedentibus dicti olei uſum.

DE

DE PRAECEDENTIBVS iſtius Olei vſum. Cap. I.

SOlent ante dicti olei appoſitionē, cutim abſtergentia pręcedere, ſicuti lotio cū albo vino tepide, & odorifere, & hęc ratione quidem conuenire vidētur, cum melior, & citius dicti olei operatio ſequatur, aduertendo tamen, quando adeſt pleuriſis, tunc in ea parte lotio quatuor anodinarum decoctione, aut aliquibus alijs anodinis, fieri debet; nā huiuſmodi decoctio, aut lotio cutim abſtergendo, poros rarefacit.& rarefaciendo facilis dicto oleo eſt ingreſſus,& propterea citius operatur;nam in quacunque bona actione,neceſſaria eſt ſubiecti diſpoſitio. reſtat nunc vt opuſculum abſoluatur, aliquid dicere de vſu dicti olei.

DE EIVS VSV CVM DOctorum auctoritatibus. Cap: I.

HVmanellus in curatione peſtis Cap. xxviii. dicit; Quumque expedit. arteriæ omnes dicto oleo illinantur pulſatiles, cordi partes adiacentes, occiput, ſpondyli, colli, nares, & quod ſupra furcam clauiculamue exiſtit iugulum, oſque ventriculi, quod ſtomachum vocant. idem confirmat Andreas Mattheolus in librum ſecundum Dioſcoridis cap. xxviii. dicendo cor dumtaxat, & pulſantes temporum manuum, ac pedum Arteriæ illinantur, quod etiam a multis quidem recentioribus commendatum venit. Idipſum totum Antonius Berthvolus in opuſculo de peſte cap. xxx. confirmat laudando hoc benedictum oleum, quod Carauitę vocatur, ad malignas, ac peſtilentes febres, tanquam alexi farmacum valere, dummodo ſingula quaque hora, aut ſingulis tribus horis,

prout

put febris magis, minuſue maligna fuerit; pulſatiles, ac magis apparentes arteriæ illinantur & præcipue, hæc, quæ in regione cordis, temporum, manuum, ac pedum ſunt. Abſoluta tractatione de oleis in communi & de modis, ac vſu eorum ſimul cũ tractatione olei Scorpionum iuxta additionem Sereniſſimi Magni Ducis Florentiarum & de primis, & ſecundis eius qualitatibus, ac de validiſſimis eius virtutibus, de Doctorum auctoritatibus, de eius quoque vſu, de partibus denique de corporis, ac etiam de eius præcedentibus vſum; reſtat nunc capitum ordinem, & foliorum numerum aſſignare, quo omnia in opere contempta facilius, & citius inueniri poſſint.

INDEX OMNIVM

contentorum in opere per capita.

DE uniuerſali, atque communi oleorum conſideratione. Caput primum. folio 25
De communis olei vſu apud veteres. cap. 2. folio 30
De communis olei facultatibus. cap. 3. 32
De temperamento olei Carauitæ. cap. 1. 33
De eius facultatibus. cap. 2. 34
De eodem oleo ad ſurditatem. cap. 3. 35
De eodem ad defectum memoriæ. cap. 4. 35
De eodem ad Tremorem. cap. 5. 36
De eodem ad ſpaſmum. cap. 6. 37
De eodem ad Paraliſim. cap. 7. 38
De eodem ad Apoſtemata frigida. cap. 8. 39

De

De eodem ad Aſthma & cattharrum. cap. 9. 40
De eodem ad dolorem pectoris. cap. 10. 41
De eodem ad dolorem coſtarum cap. 11. 42
De eodem ad dolorē ſtomachi. cap. 12. 43
De eodem ad dolorem dorſi. cap. 13. 44
De eodem ad tumores, durities, atque dolores ſplenis. cap. 14. 45
De eodem ad dolores uentris. cap. 15. 46
De eodem ad lapidem renum, & veſicę. cap. 16. 46
De eodem ad colicam paſſionem. cap. 17. 48
De eodem ad Iliacam paſſionem. cap. 18. 49
De eodem ad dolores matricis. cap. 19. 50
De eodem ad ſedandum dolorem Hæmorrhoidarum. cap. 20. 51
De eodem ad inciſiones neruorum. cap. 21. 51
De eodem ad dolorem iuncturarum, podagras, & uentoſitates. cap. 22. 53
De eodem ad malignas, ac peſtilentes febres. cap. 23. 55
Variæ Doctorum Auctoritates ad idem. cap. 1. 60